



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Descriptio lapsus Adami. Colloq. LXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

Reipublicæ ac politiam euertit, vt
Cyclopicam quandam confusio-
nem illi inducat.

Descriptio lapsus Adami.

COLLOQVIVM LXXXV.

THBO.

VERVM quemadmodum pau-
lo ante in persona secundi
Adami, qui est IESVS Chri-
stus, viuum exemplum victorię glo-
riosissimæ conspeximus: ita nunc
Adami veteris lapsum considere-
mus, quo videlicet pleniorẽ per-
fectiorẽque huius scientiæ cog-
nitionem indispicamus. Ecce tibi in
Gen. 3. 1. ipsis mundi incunabulis inimicum
hominis, qui tectus pelle serpenti-
na, huc illucque obambulat, & tan-
dem ad Euam veram sensualitatis
figuram conuertitur. Quæ decepta
per suggestionem aduersarij, per-
que proprios sensus, & per ineptam
ac stultam imaginationem, quæ il-
li insinuabat fructum hunc veti-
tum multò quam sapidissimum esse,
quod præsertim & oculis lenocina-
retur, & visu gratus foret, eum ap-
pre-

prehendit, manducat, marito re-
 præsentat, atque vt idem faciat per-
 suadet. Ille ergo etsi, sicut Eua,
 deceptus non fuerit, quemadmo-
 dum bene Apostolus animaduertit, *1. Tim. 2.*
 cumque cor masculinum ad resisten-
 dum habere deberet, femineam vo-
 luntatem maluit demonstrare. Qua-
 re contra conscientie suæ consi-
 lium malum præmordens, & mor-
 tem comedens, animam suam anti-
 qui illius serpentis coloribus asper-
 sit, quibus postea in vniuersam po-
 steritatem transfusis, ea non paulò
 ineptior maioribus suis effecta fuit;
 & tanto etiam minus idonea, quia
 protoplastus noster Euam suam se-
 paratam habebat, constituentem
 præter se aliam ac diuersam perso-
 nam, cum contra nos Euam nostram
 indiuiduam habeamus ac circumfe-
 ramus. Eua nostra caro nostra ac *Eua no-*
 sensualitas est: hæc illa est quam *stra est*
 Sathan accessit, quæ spiritum, Ada- *caro no-*
 mum suum sollicitat, & ad paren- *stra.*
 dum appetitui inuitat. Nostrum er-
 go est illi resistere, eam vt fatuam
 depellere, quemadmodum Iob vxor- *Iob 2. 10.*
 si suæ

*Vetus
homo.*

*Homo
anima-
lis.*

*Genes. 3.
10.*

ri suæ fecit. Hæc est illa pars, quam Theologi nostri, sicut sæpius hactenus diximus, carnem appellant, sensualitatem, partem inferiorem hominis antiqui, veteremque Adamum: & eum qui se ab illa regi patitur ac gubernari, nomine hominis sensualis, carnalis, ac animalis afficiunt: quippe qui aliud non quarit, quam caduca corporis bona, secundum consuetudinem bestiarum: hæc denique bestia illa est, quæ proprijs cornibus magistrum suum Adamum laceffuit. Vnde sicut illius voluntas per inobedientiam à Domino suo ac Deo suo distracta auulsaque fuit: ita confestim rebellionem in membris suis persensit, quæ alioqui sine expresso illius mandato contra illum se commouere ausa non fuissent: & quod maximè deplorandum est, quodque in seditionibus popularibus ferè euenit, infimæ abiectissimæque partes summum locum occuparunt, & imperij gubernacula rationis manibus excusserunt: vnde miseræ suæ pudore perfusus latibulum querere,

rere, & fugam circumspicere in-
coepit.

De victoria Anima.

COLLOQVIVM LXXXVI.

MANEAT ergo iam nunc vi- THEO.
ctoriam & incolumitatem
paruae huius Monarchiae, in
eo consistere, vt voluntatem re-
ctam, contraque vniversas Satha-
nae suggestiones, & sollicitationes
Euae nostrae constantem immobi-
lemque teneamus; ad quod con-
sequendum mirabilia nobis adiu-
menta adfert continua assiduaque
mortis meditatio. In ea namque
turpitudinem peccati euidenter co-
gnosimus, & deformitatem ac ma-
litiã Diaboli, peccati patris, &
mortis aui clarè manifesteque per-
spicimus. Hac ergo scientia volun-
tas nostra illud consequetur, ei vt
se totaliter opponat, & velut pro-
prio odij sui obiecto resistet; quip-
pe cum illius natura sit foeda mala-
que execrari, & contra bona for-
mosaque amplexari. Execrabitur
Dd ergo